

Peter Wasmund Johannes Litzmann

**D. O. M. A. Collegii Imperialium Institutionum Disputatio ordinaria IV. De Rerum  
Divisione, Earumque Iure Naturali Et Gentium acquirendo dominio**

Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730622533>

Druck Freier  Zugang



RU. jur 1612

Peter Warmundt / d  
Resp. Johannes Ligmann



30 25  
28

D. O. M. A.  
COLLEGII IMPERIALIUM  
INSTITUTIONUM

*Disputatio ordinaria IV. 74*

DE  
RERUM DIVI-  
SIONE, EARUMQUE  
JURE NATURALI ET GEN-  
tium acquirendo dominio

*Quam*

PRÆSIDE

Dn. PETRO VVASMUNDT

Neobrandenburg. Megapolitano

*In Academia Rostochiensi 9. Decemb.*

*hora 5. matut. loco solito,*

Collegis suis Nobilibs. & doctifs.

*discutiendam exhibet*

JOANNES LITZMANNUS

Rupinensis Marchicus.

*I. J. 290. 30.*

ROSTOCHII

Typis Ioachimi Pedani, Anno MDCXXII.

*Amplissimo, Prudentissimoq;  
Viro,*

Dn. JOHANNI LITZMANNO,  
Inclutæ Reip. Rupinens. Cos. meritisimo,  
Parenti suo colendo.

NEC NON

*Clarissimo Excellentissimoq; Viro,*  
Dn. ALBERTO BULICHIO Medi-  
cinæ Doctori.

ITEM

*Auctoritate multoq; rerum usu specta-  
tissimo Viro,*

Dn. CARO LENTHEN, Illustrissimæ  
Saxe-Erzsachsen-Brandenburgici in Zechlin Præfecto  
fidelissimo.

ET

*Humanissimo doctissimoq; Viro,*  
Dn. THOMÆ MULLERO, olim Scholæ  
Patriæ Moderatori dignissimo.

TUM DENIQUE

*Prudentissimo multoq; rerum usu  
prestantissimo Viro,*


Dn. PETRO RHEFELDIO, N. P.  
eiusdemq; Scholæ olim Conrectori vigi-  
lantissimo.

*Parenti, Affinibus, Amicis, & Favoritibus  
meis, quos debitâ animi observantiâ obser-  
vare & colere maximè debeo,*

A. O. C.

Respondens:

*Lundæ die 12/1*






DISPUTATIO IV.

DE RERUM DIVISIONE, EA-  
rumq; jure naturali & gentium acqui-  
rendo dominio.

Thesis I.



Mne jus, quo utimur, vel ad per-  
sonas, vel ad res, vel ad actiones pertinere,  
docet *Gajus in l. 1. ff. de stat. hom. & Imp.*  
*in §. ult. Inst. de jur. nat. gent. & civil.* Cum  
igitur hacenus de personis, & earum juri-  
bus, egerimus: instituta methodus exigit, ut ad rerum ex-  
plicationem progrediamur. Hæ enim sunt, quibus per-  
sonæ in vita humana adjuvantur & utuntur, quarum ap-  
pellatio in generali significatione, tam res corporales,  
quam incorporales; item facta, personas, causas & jura  
complectitur, *l. 5. l. 6. l. 23. ff. de V. S.* At in præsentii  
libro paulò strictius accipitur, ne sub se personas vel actio-  
nes contineat. Prima itaq; & potissima divisio est, qua  
aliæ res corporales, aliæ incorporales esse dicuntur, *l. 1. §.*  
*1. ff. de rer. divis. in pr. Inst. de reb. corp. & incorporal.* Cor-  
porales sunt, quæ sui natura, vel actu, vel potentia saltem,  
tangibiles ac palpabiles existunt. Hæ autem rursus sunt,  
vel mobiles, vel immobiles. Mobiles dicuntur, quæ in-  
tegræ loco moveri, & ex uno loco in alium transferri  
possunt, *l. 79. §. 1. ff. de legat. 3. l. 15. §. 2. ff. de re judic.*  
Quæ rursus aut moventes sunt, aut in specie mobiles vo-  
cantur. Illæ dicuntur animalia, quia seipsa movent; ut  
sunt, equi, boves, asini, oves, agni: Hæ appellantur res

inanimatae, veluti sunt vestis, liber, scamnum, mensa, l. 93. ubi eleganter Gædd. n. 2. de V. S. l. unic. C. de usucap. transformand. Res immobiles sunt, quæ loco moveri nequeunt. Hæc; vel res soli sunt; vel solo cohærentes, l. 10. ff. quod vi aut clam. l. 1. §. 4. ff. de vi & vi armat. Res soli sunt fundi, l. 1. ff. de conduct. triticar. l. 1. §. 1. ff. de R. V. qui vel singuli considerantur; vel in universitate, veluti territorio, ducatu, l. 239. §. 8. ff. de V. S. Res solo cohærentes perhibentur res solo junctæ, ut, arbores, l. 7. §. 5. l. 19. ff. quod vi aut clam. ædificia, l. 7. §. 10. ff. de adquir. rer. dom. molen- dina, l. 12. §. 10. junct. §. seq. l. 21. ff. de instruct. vel instrum. legat. sylvæ, castra, lacus & stagna. Sanè & fructus pen- dentes pro rebus solo cohærentibus habentur; cum pars fundi dicantur, l. 44. ff. de R. V. Incorporales res sunt, quæ sui natura tangi & videri non possunt; sed sola mente seu intellectu percipiuntur: qualia sunt ea, quæ in jure consistunt, sicut hereditas, servitutes prædiorum, usus- fructus, usus, & obligationes re, verbis, literis, vel quoquo modo contractæ, tit. Inst. de reb. corporal. & incorp. l. 1. §. 1. ff. de R. D. Altera divisio est, qua aliæ res extra patrimo- nium nostrum habentur; aliæ in patrimonio nostro exi- stunt, pr. Inst. d. t. l. 5. ff. de V. S. Earum quæ extra patri- monium nostrum sunt, quædam divini, quædam humani juris sunt, l. 1. in pr. ff. de R. D. Divini, vel absolutè, ut res sacræ & religiosæ: vel modo quodam, ut sanctæ, quæ nullius in bonis esse dicuntur. Sacræ res sunt, quæ publi- cè consecratæ permisso Cæsaris, aut per Pontifices ipsos, l. ult. ff. ut in possess. legator. §. 8. Inst. h. t. Religiosæ dicun- tur, quas privatus quisq; religioni & pijs utibus conse- crat, veluti, si sepulchrum faciat, l. 6. §. 4. ff. de R. D. §. 9. Inst. eod. Sanctæ sunt, quæ sanctione quædam adversus hominum injurias munitæ sunt, l. 8. ff. de R. D. §. 10. Inst. d. t.

*l. 1.* Humani juris res, aut sunt communes, aut publicæ, aut universitatis. Communes sunt, quæ jure naturali, non tantum hominibus, sed & omnibus animantibus sunt usui, ut est aër, aqua profluens, mare & per hoc littora maris, *l. 1. Inst. de R. D. l. 4 ff. cod. l. 14. l. 30. ff. de acquir. rer. dom.* Publicæ sunt, quarum usus publicus est omnibus Civibus Romanis, uti flumina, portus, ripæ, *l. 2. 3. 4. Inst. de R. D.* Universitatis deniq; censentur, quæ universorum non singulorum sunt, licet singuli his uti possint, ut sunt, basilicæ, forum, curiæ, scholæ, *l. 6. l. 1 ff. de R. D. l. 6. Inst. eod.*

### Quæritur.

1. Anni reditus an inter immobilia computentur? *Sub dist. A. Rober. disp. 6. th. 7. Gail. lib. 2, obs. 10. Mynsing. centur. 1. observ. 69.*

2. Pecunia numerata, utrum rebus corporalibus; an vero incorporalibus sit annumeranda? *Dist. Hotom. quest. illust. 15. & lib. 3. obs. cap. 3. Pinell. in l. 1. part. 2. num. 45. & seqq. C. de bon. matern.*

3. Pecunia prædiorum seu immobilium emptioni destinata, an mobilis sit, nec ne? *Dist. Rober. d. disp. 6. th. 10. Vid. Gail. d. lib. 2. observ. 11.*

4. An pisces in piscina rebus immobilibus accenseri debeant? *Dist. Rober. d. l. th. 11. Harpr. ad tit. Inst. de reb. corporal. & incorporal. num. 21. & seqq.*

5. An hereditas & res hereditaria differant? *A: Gædd. ad l. 24. ff. de V. S. Diff. Alciat. & Brechhaus in d. l. 24. de V. S.*

6. An obligationes rectè ab Imp. referantur ad jus rerum? *A: Forster. lib. 1. disp. 2. th. 1. Hoen. disp. 13. th. 1. Dist. Nicaf. ad pr. Inst. de obligat. qui eas ad jus rerum: & Vult. ad d. pr. Item. lib. 1. Jurisp. Rom. c. 26. & lib. 1. discept. Scholast. c. 16, qui eas ad jus personarum refert.* *An.*



7. *An sit tertia species earum rerum, que nec sunt in patrimonio, nec extra patrimonium?* N. Gædd. in l. 49. n. 15 ff. de V. S. Forster. lib. 1. disp. 6. th. 1. Diss. Dd. comm. Cujac. Borch. Pac. ad pr. Inst. de R. D.

8. *An res sacra in illicitum genus religionis erogata, cedant lucro heredum: an vero in meliores magisq. pios & Deo gratos usus sint convertenda?* A. post. c. semel ext. de R. J. in 6. l. 16. ubi Cujac. ff. de usufruct. legat. Hocn. disp. 4. th. 3.

9. *An res sacra alienari possint?* Diss. Harpr. ad §. 8. numer. 3. & seqq. Inst. h. t.

10. *Locus Sacer, si capiatur ab hostibus, an Sacer esse desinat?* A. gaudet tamen jure postliminij.

11. *Num communis negativa lectio circa fin. §. 9. Inst. h. t. retineri possit?* A. Forster. lib. 1. disp. 6. th. 4. Donell. 4. Comm. 1. Diss. Hotom. Cont. Wesf. ad d. §. Coras. in l. 6. §. religiosum ff. de R. D.

12. *An unus ex dominis in communem locum purum ceteris invitis mortuum inferre possit?* N. §. religiosum Inst. h. t. contra Donell. 4. comm. 1. Hotom. Mysf. Borch. ad d. §.

13. *In commune tamen Sepulchrum citam sine consensu reliquorum unus ex dominis rectè sepeliet?* l. 41. ff. de relig. & sumtib. fun. contra Mysf. Borch. d. l.

14. *An monstri partus illatione locus fiat religiosus?* Diss. Gædd. ad l. 38. n. 3. & 15. ff. de V. S.

15. *An ob debitum defuncti ejus sepultura impediri possit?* N. Nov. 115. cap. 5 §. 1. Auth. item qui domum C. de sepulch. viol. Nov. 60. cap. 1.

16. *Sic cadaver diversis in locis sit sepultum, quinam locus efficiatur religiosus? In quo pars principalis nimir. caput reperitur.* l. 44. ff. de relig. & sumtib. fun. Sed an ex hac L. rectè communiter D D. arguant, si quis in confinio occisus reperiat, ut ejus sit de delicto cognoscere, in cujus territorio capite incumbit occisus

isus, quari non inconvenienter hic potest? N. sed ei cognitionem  
tribuendam esse arbitramur, in cujus territorio stetit homicida al-  
terum trucidans. Vid. varie dissentientes DD. apud Niel, Coroll.  
unic. disp. feud. ult.

17. Num pana capitis in eos constituta, qui aliquid in muros  
deliquerint, pertineat & extendatur ad alios etiam quam urbis  
Roma muros? A. Gadd. in l. 5. n. 17. ff. de V.S. Diff. Forster. lib. 1.  
disp. 6. th. 5. Sneyd. Myns. Wes. Vult. Heig. ad §. 10. Inst. h. t.

18. An res in dubio prasumatur esse nullius, vel alicujus?  
N. prius cum Angelo, Schneidevv. in §. nullius Inst. de rerum  
divis. per l. fin. C. unde vi.

19. Nunquid is qui ex soli odore, vel factore aliquo locum  
reddit pestilentem adeoq. aërem corrumpit & insicit, teneatur in-  
terdicto, ne quid in loco publico? A. Matt. Stephani Cen-  
tur. 2. quast. 2.

20. Quid sit aqua profluens in §. 2. Inst. h. t.? Non aqua  
pluvia, non ipsum flumen; sed aqua fluminis. Donell. 4. com. 2.  
Disf. Coraf. ad l. 2. ff. de R. D.

21. An ex flumine publico aquam ducere liceat? Si usus  
publico haud noceat, A. l. 17. ff. de serv. rust. pred. l. 2. ff. de flum.  
Duar. 1. disp. 52. Don. 4. comm. 3. in fin.

22. An in fluminibus privatis & proprijs alterius, alteri pis-  
cari liceat? N. Constit. Carol. V. art. 169. sub tit. Straffe der  
jenigen die Fische stelen &c. ibi, So aber einer auß einem fließ-  
senden vngefangen Wasser Fische fienge/ &c.

23. An in fluminibus publicis liceat adificare molen-  
dinum? N.

24. An quis in prajudicium alterius possit adificare molen-  
dinum in proprio? Modo principaliter in damnum ejus qui prius  
habuit molendinum, id non fiat, posse quem adificare asserimus  
l. 24. §. fin. juncta l. 26. ff. de damn. infect. nec commodum natu-  
rale i. e. aqua priori adimatur, arg. l. 7. C. de Servitut. & aq.

25. An

25. *An autem actione spoliij rectè conveniatur ei, qui hosti-  
tes molendini prioris suo accommodat molendino? N. cum Sneid.  
ad §. flumina Inst. de rer. divis. num. 13.*

26. *Vsus riparum an sit publicus, proprietas vero illorum  
quorum prædijs adherent? A.*

27. *An in causis civitatum universitatis, cives illi, qui sunt  
de universitate, testes reverasint? Disting. Sneid. in §. univer-  
sitatis num. 5. Inst. de R. D.*

## THESIS II.

In patrimonio nostro dicuntur esse res in quibus do-  
minium habemus. Dominium est jus cuique rei dominan-  
di jure patrimonij. *Gædd. ad l. 49. num. 7. ff. de V. S. §. l. 25.  
n. 7. ff. eod. Modi ejus acquirendi sunt aut juris gentium,  
aut juris Civilis, l. 1 ff. de acquir. rer. dom. §. 11. Inst. de rer.  
divis. Modi juris gentium à diversis constituuntur diver-  
si: nos eos ad quatuor hæc capita commodè revocari pos-  
se putamus, occupationem, accessionem, specificationem  
& traditionem. Occupatio complectitur sub se venatio-  
nem, inventionem & captionem ex hostibus Venatio vel  
ferarum est, quæ propriè venationis nomen retinet; vel  
piscium, quæ piscationis; vel avium, quæ aucupij nomen  
meretur. Venari igitur, piscari & aucupari, tam in publi-  
co & alieno, quam proprio fundo licet: capta enim statim  
naturaliter occupantis, non persequentis & vulnerantis  
fiunt, nisi Dominus soli, ne quis venandi gratia ingre-  
diatur, prohibeat, l. 1. & seqq. ff. de acquir. rer. dom. §. 12. 13.  
Inst. de rer. divis. Inventio est rerum quæ vel nullius un-  
quam fuerunt, ut sunt lapilli pretiosi, gemmæ, conchilia,  
arena maris, uniones & alia in littore maris inventa, §. 18.  
Inst. de rer. divis. vel fuerunt aliquando alicujus, ejus au-  
tem esse desierunt, ut res pro derelicto habitæ, missilia,  
§. 45.*

§. 45. & 46. *Inst. eod.* & thesaurus, qui in suo inventus totus fit inventoris; in alieno repertus fortuito dividitur inter dominum loci & inventorem: data vero opera domini totus est, idemq; est si inveniatur in loco fiscali vel publico, §. 39. *Inst. d. 1.* Item ex hostibus capta jure gentium statim nostra fiunt; in tantum, ut & liberi homines in servitute nostram deducantur, qui tamen si ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiunt, §. 17. *Inst. eod.*

### Quæritur.

1. An dominium sit rerum etiam incorporalium? A. Forster. lib. 1. disp. 6. th. 6. Gædd. ad l. 49. n. 7. cum seqq. ff. de V. S. Diff. Harpr. ad pr. *Inst. de R. D. n. 12.* & seqq.

2. Distinctio domini in directum & utile rectè accepta an tolerari possit? A. Hoën. disp. 4. th. 1. Gædd. ad l. 25. n. 7. & ad l. 27. n. 17, & 18. ff. de V. S. Diff. Niell. disp. feud. 3. th. 6. lit. b. Bronch. Cent. 1. miscell. contr. as. 38.

3. An dominiorum distinctio, recta rationi, & sacris literis sit conformis? A.

4. An Princeps ex plenitudine potestatis civibus res suas auferre, & sine ulla causa ad alium transferre possit? N.

5. An venationes subditis à Principibus jure sint interdite? A. Fach. lib. 1. cont. c. 1. Speckhan. cent. 1. quæst. 97.

6. Nū mortis supplicio venationes suas rectè vindicent Principes? D. st. cum Harpr. ad §. 12. & 13. *Inst. de R. D. n. 304* & seqq.

7. An qui feram bestiam in alieno capit invito domino faciat eam suam? A. Capoll. in tract. de servitut. rust. præd. c. 21. n. 2. Sebast. Med. in tract. de venat. q. 7. primæ partis num. 15. Diff. Obrecht disp. de dom. & mod. acquir. natur. th. 70.

8. An etiam res immobiles possint pro derelicto haberi? A.

9. Si quis fundum alienum in quo thesaurum reconditum scivit, ab ignorante emerit, eumq; postea effoderit & occupaverit,

B

nub.

nunquid venditor in eo thesauro quid juris ab emptore sibi vindicare, & ad versus eundem agere possit? N. Heig. in quaest. jur. tam civil. quam Saxon. part. 1. quaest. 13. num. 61. & seqq. Fach. 2. contr. cap. 20. vers. quarto controversitur.

10. An usufructuarius, thesaurum in fundo usufructuæ subjecto inventum, totum sibi acquirat? N. Sed illum ad instar extranei, qui thesaurum in fundo alieno invenit cum domino proprietatis ex aequo dividet, Joan. Gass. in tract. de expens. c. 22. n. 51. per text. in l. 7. §. 12. in fin. ff. solut. matrimon.

11. Ad acquisitionem thesauri an sufficiat nudus inventoris conspectus; an vero praeterea naturalis apprehensio requiratur? Hoc A. l. 3. §. 1. & 3. ff. de acquir. poss. l. 31. §. 1. ff. h. r. Cujac. 11. obs. 38. Freul. disp. 20. th. 2. ad lit. h. vol. 2. Diss. Accus. ad §. 18. Inst. de R. D.

12. Cujus fiat thesaurus in pradio feudali, vel emphyteutico inventus? Si extraneus invenit, dividetur inter inventorem & dominum proprietatis; Sin ipse vasallus vel emphyteuta, jure extranei utetur, Valasc. in tract. de jure emphyteut. q. 15. n. 1. vers. Sunt tamen aliqui &c. Diss. Sneyd. Myns. Forst. & alij ad d. §. 39. Inst. de R. D. Niell. disp. feud. 11. th. 6. ad lit. f.

13. An hostium bona immobilia, sicut mobilia, statim occupantium militum fiant? N. l. 16. ff. h. r. l. 20. §. 1. ff. de capt. & possim. revers. Cujac. 2. obs. 9. & 19. obs. 7. Diss. Don. 4. comm. 21. & 35.

14. An Christiani capti à Turcà, Persis, Sarracenis & similibus gentibus, capientium servi efficiantur? A. Alciat. Rebuff. ad l. hostes 118. ff. de V. S. Harp. ad §. 17. Inst. de R. D. num. 8. & seqq.

### THESIS III.

Accessio varia est: comprehendit enim sub se alluvionem, ædificationem, plantationem, scripturam, fructuum perceptionem & si quæ sunt alia. Hinc quod per alluvionem

vionem agro nostro accedit, ita paulatim, ut intelligi non  
 possit, quantum quoquo temporis momento adiciatur,  
 jure gentium nobis acquiritur. *S. 20. Inst. h. t. l. 7. §. 1. ff.*  
*de acquir. rer. dom. l. 1. §. 3. C. de alluvi.* Fundi vero pars  
 vi fluminis detracta, prædioq; alieno adjecta, antequam  
 radices agar, prioris domini manet, si coaluerit, vicini fun-  
 do, acquisita videtur, *S. 21. Inst. h. t. l. 7. §. 2. ff. eod. l. 9. §.*  
*Alfenus 2 ff. de damn. infect.* Jure soli dicimur rerum do-  
 mini propter inædificationem; quæ fit vel ex aliena mate-  
 ria in suo solo: vel propria materia in alieno solo, quo ca-  
 sū utroq; obtinet regula; quod superficies sive inædificatum  
 cedat solo: Casu priori, domino materiæ contra ædifi-  
 cantem ex *l. 12. datur actio de tigno juncto in duplum,*  
*l. 1. l. 2. ff. de tigno juncto:* Posteriori casu, quia dominus ma-  
 teriam donare videtur, etiam proprietatem ejus amittit,  
*S. 29. Inst. de R. D. l. 7. §. 10. 11. 12. l. 28. l. 60. ff. de acquir. rer.*  
*dom. l. ult. ff. de Superficiebus.* Eodem inædificationis fun-  
 damento gaudent insitio & plantatio, modo cum terra a-  
 lienâ unitatem fecerint, illi coaluerint, & radices egerint,  
*S. 31. & 32. Inst. h. t.* Eodem modo scripturæ, sive literæ  
 cedunt chartis sive membranis, quo cedere solent reliqua,  
 quæ superficiæ nomine continentur, *S. 33. Inst. h. t. l. 9. §. 1. ff.*  
*de acquir. rer. dom. l. 23. §. 3 ff. de R. V.* Sed non uti literæ char-  
 tis, ita ex interpretatione civili picturæ tabulis cedere so-  
 lent, idq; propter excellentiam & pretium picturæ, *S. 34.*  
*Inst. h. t. l. 9. §. 2. ff. de acquir. rer. dom.* Si quis à non domi-  
 no, quem dominum esse crediderit, fundum aliquem,  
 bona fide & justo titulo acceperit, fructus quos percepit  
 ejus sunt pro cultura & cura; si mala fide, secus est,  
*S. 35. Inst. h. t.*

### Quæritur.

1, *Cuinam augmentum per alluvionem fundo fructuario,*

B 2

emphy-

emphyteutico, vel feudatario adjectam acquiratur? Diss. juxta  
l. 9. §. 4. ff. de usufruct.

2. An jus alluvionis in agris limitatis locum habeat? N. l. 16.  
ff. h. t. Donell. 4. Comm. 27. Diss. Conan. 3. comm. 5. n. 4.

3. An actio de tigno furto juncto, etiam contra bona fidei  
adificatorem in duplum detur? A. Rober. disp. 7. coron. 1. Hoen.  
disp. 4. th. 10. Gædd. ad l. 62. n. 8. & 9. ff. de V. S. Diss. Cujac. ad §.  
29 Inst. h. t. & lib. 23. obs. 19. in pr. in distinctè bona fidei adificato-  
rem ad duplum teneri statuens. Aliter diss. Wesf. ad d. §. 29. Inst.  
h. t. n. 5. indistinctè eundem ad duplum non teneri existimans.

4. Quid autem, si dominus soli malit eximere tignum &  
domino restituere, quam duplum prestare: anne ipsius tigni re-  
stitutione liberabitur à dupli condemnatione & prestatione? Aff.  
Förster. lib. 1. disp. 6. th. 21. Harpr. ad §. 30. Inst. h. t. n. 19. & seqq.  
Diss. Cujac. 23. obs. 19. in pr.

5. Num mala fidei possessor consequatur impensas necessa-  
rias utili negotiorum gestorum actione? Aff. Cujac. 10. obs. 1.  
Gædd. in l. 79. de V. S. n. 7. Diss. Costal in l. 33. ff. de condict. indeb.

6. An mala fidei possessor actione consequatur utiles impen-  
sas? N. Förster. d. lib. 1. disp. 6. th. 23. Diss. Cujac. 10. obs. 1.

7. An mala fidei possessor omnes voluptuarias amittat? Aff.  
Gædd. ad d. l. 79. §. 2. n. 3. ff. de V. S. Diss. Alciat. ibid.

8. An bona fidei possessor consequatur etiam naturales  
fructus? A. Harp. ad §. 25. n. 19. & seqq. Inst. de R. D. Pinell. ad  
l. 2. C. de rescind. vend. part. 2. c. 4. n. 54. & seqq. Diss. Hoen.  
disp. 4. th. 11. qui omninò naturales fructus bona fidei possessori de-  
negat. Aliter Diss. Förster. lib. 1. disp. 6. th. 26. qui distinguit inter  
eam qui habet titulum, & inter eum, qui non habet.

9. An bona fidei possessor postquam rem alienam cognovit,  
fructus deticeps suos faciat? N. Gædd. in l. 209. n. 12. ff. de V.  
S. Diss. Duar. de naut. fœn.

10. An mala fidei possessor fructus etiam percipiendos resti-  
tuit?

*Stat. Aff. Bronch. cent. 2. af. 87. Dis. Accurf. in l. ex di-  
verso ff. de R. V.*

11. *An distinctio fructuum in naturales & civiles; & na-  
turalium, in merè naturales & industriales possit sustineri? A.  
Gædd. in l. 121. ff. de V. S. Harpr. ad l. 36. Inst. h. t. Dis.  
Coras. s. miscell 9.*

#### THESIS IV.

De specificata materia dominio, post multam Procu-  
lianorum & Sabinianorum ambiguitatem (habita distin-  
ctione bonæ & malæ fidei specificantis) media placuit  
sententia; ut siquidem ad pristinam formam & mate-  
riam rudem reduci species non possit, facientem sive  
specificantem manere dominum, aliàs secus, *l. 3. §. 2. l. 5.  
§. 1. ff. de R. V.* Huc pertinent quoq; commixtio & confu-  
sio. Commisceri dicuntur, quæ inter se mixta, manent  
quidem eadem, conjuncta tamen novum q. corpus con-  
stituunt. Confundi dicuntur, quæ mistæ mutant formam  
pristinam: aut retenta forma pristina difficilem habent se-  
parationem, *l. 7. §. 8. 9. ff. de adquir. rer. dom. l. 3. §. 2. ff. de  
R. V.* Commixtio voluntaria, ut & confusio fortuita, si  
materiae invicem separari nequeant, speciem communem  
faciunt, *§. 27. Inst. h. t. l. 7. §. 8. l. 5. §. 1. ff. de R. V.* com-  
mixtio fortuita non æquè, sed qui libet dominorum suam  
partem vindicare potest, *§. 28. Inst. h. t.* Deniq; traditio  
est modus acquirendi dominium jure gentium inter cæte-  
ros potissimus. Est vero traditio naturalis acquisitio, qua  
res corporalis à domino ex justa causa alteri traditur ad  
dominium transferendum, *§. 40. Inst. h. t. l. 9. §. ha quoq;  
res & §. §. seqq. l. 20. l. 31. ff. de adquir. rer. dom.* Traditio alia  
est vera sive propria; alia ficta sive imaginaria, *l. 6. ff. de  
donat.* Vera & propria traditio est, cum vel res mobilis de  
manu in manum datur; vel quis in rei immobilis posses-

B 3,

tionem



tionem inducitur, §. 40. *Inst. h. t. l. 9. §. 3. ff. eod.* Ficta  
 seu quasi traditio est, qua res etiam si naturaliter & verè  
 tradita non sit: interpretatione tamen juris pro tradita  
 habetur, l. 1. §. 21 *ff. de acquir. vel amittend. pos. §. 44. & 45.*  
*Inst. h. t.* Hoc contingit varijs modis, tam ex parte traden-  
 tis, quam accipientis. Ex parte tradentis; vel per cla-  
 vium traditionem: Nam si quis merces in horreo depo-  
 sitas vendiderit, simul atque claves horrei tradiderit, transf-  
 fert proprietatem mercium ad emptorem, d. §. 45. *Inst. h. t.*  
*l. 74. ff. de contrab. emt. l. 9. §. item si quis merces ff. de acquir.*  
*rer. dom.* vel per instrumenti porrectionem; veluti si quis  
 coempto mancipio instrumentum emtionis mihi donatario  
 tradat, dominium in me transfuisse censebitur, l. 1. C. de do-  
 nat. vel per demonstrationem, l. 18. §. si venditorem *ff. de*  
*acquir. vel amitt. pos.* vel per patientiam, l. 9. §. interdum  
*ff. de acquir. rer. dom.* vel alijs quibusdam modis. *Ha. pr. ad*  
*§. 44. & 45. Inst. h. t. n. 1. 2. 3. & seqq.* Ex parte accipien-  
 tis ficta traditio fit, per consignationem, veluti si emptor  
 rem emptiam signet, l. 14. §. 1. *ff. de peric. & comm. rei vend.*  
 per vini degustationem, l. 1. l. 4. *ff. d. t.* per aspectum, l. 79.  
*ff. de solut.* per custodum appositionem, l. 51. *ff. de acquir.*  
*vel amitt. pos. &c.*

### Quaritur.

1. An nova species ex aliena materia bona fide facta, quæ  
 ad pristinam materiam reduci nequit, facientis fiat? A. *Hoen.*  
*disp. 4. lib. 9. Bronch. cent. 3. as. 79.*

2. An dissensus circa causam dandi & accipiendi impe-  
 diat translationem dominij? N. l. 30. *ff. h. t.* Vid. *Don. 4. com.*  
*18. Conan. 3. comm. 7. n. 4. Pac. 3. q. 67.*

3. Procurator mandatum generale habens, an alienando  
 rem domini, eam faciat accipientis? A. §. 42. *Inst. h. t. ubi Dd.*  
*l. 58. & seq. ff. de Procur. Pac. 2. q. 47. Dis. Donell. 4. comm. 15.*

4. Si

4. Si dominus rem quam suam esse scit, ab alio conductam  
anne eo ipso dominium transferet in eum, à quo conduxit? A.  
Harpr. ad §. 44. & 45. n. 7. Inst. b. t.

5. An ut possessio clavium traditione transferatur, necesse  
sit claves tradi in re. praesenti? A. l. 74. ff. de contrah. empt.  
Cujac. 4. obs. 3.



Ad Ornatissimum & Doctissimum  
Juvvenem,

DN. IOANNEM LITZMANNUM  
Collegam & amicum suum  
RESPONDENTEM.

PERpulchrè effatur Cicero, sic orsus ab alto:

*Nemo natus homo nascitur ipse sibi,  
Ortus sed nostris partem de jure merentur  
Agnati, partem Patria, dulce solum.*

Quo monet, addictum quemvis sic rebus honestis,  
Ut poterit patrijs utilis esse locis.

Cujus JANE memor, præclaræ laudis honorem,  
Ducere LITZMANNÈ es visus amice mihi,


Talia qui assiduè studijs urgendo fatigas,  
Digna tuo ingenio, digna tuâ patriâ.

Et jam, *Cunctorum que sūt Divisio Rerum,*  
Egregiâ juris differis arte nimis

Præsidio PETRI WASMUNDI, quem fama per urbem,  
Fert celebrem legum pervoluisse libros.

Quod felix faustumq; tibi, patriæq; Propinquis,  
Faxit, qui potis est, Optimus ille DEUS.


*Scriptum à IOANNE FALCKENHAGEN Graba-  
viensi Megapolitano.*




PEr multos Dialexeus per usum  
 Nisus extimulantur ad decores,  
 Decus Nominis, ampliusq; magni,  
 Profectum in studijs suis beatum  
 Dum pulcre faciunt, pie tuentes  
 Verum sedulitate fervida alnum.  
 Ignem nam chalybe ut Pyretis usus  
 Vides elicier: pari modo ipsum  
 Verum se quoq; mutuis loquelis  
 Nobis prabet deniq; per videndum.  
 Tollo laude igitur tuum institutum,  
 LITZMANNE, Eunomies vigil satellites,  
 Hanc quod semitam utem gradu fideli  
 Ad laudem sequeris, ferunq; ad ipsum  
 Dissertando parasq; te instruisq;  
 Hæc collatio mutua quippe Legum  
 Reddit pondera perspicaciora.  
 Perge in curriculo, pioq; capto;  
 Celsâ sic Themis arce te locabit  
 Quondam, Daphnide floridaq; cinget.


Affectus amici ergo subnectebam.

ERDMANNUS REICHIUS Lupcensis Megap.









the scale towards document

cent. 2. ab. 871 Dis. Accurs; in l. ex di-  
fructuum in naturales & civiles; & na-  
turales & industriales possit sustineri? A.  
V. S. Harpr. ad §. 36. Inst. h. t. Dis.

THESIS IV.  
materiae dominio, post multam Procu-  
renorum ambiguitatem (habita distin-  
ctae fidei specificantis) media placuit  
idem ad primitivam formam & mate-  
speciem non possit; facientem sive  
re dominum, aliàs secus, l. 3. §. 2. l. 5.  
pertinent quoq; commixtio & confu-  
cuntur; quæ inter se mixta, manent  
juncta tamen novum q. corpus con-  
dicuntur, quæ mixta mutant formam  
ta forma primitiva difficilem habent se-  
9. ff. de acquir. rer. dom. l. 3. §. 2. ff. de  
voluntaria, ut & confusio fortuita, si  
parari nequeant, speciem communem  
l. 1. §. 7. l. 8. l. 5. §. 1. ff. de R. V. com-  
æquè, sed quilibet dominorum suam  
pretit, §. 28. Inst. h. t. Deniq; traditio  
di dominium jure gentium inter cæte-  
vero traditio naturalis acquisitio, qua  
mino ex justa causa alteri traditur ad  
ndum, §. 40. Inst. h. t. l. 9. §. ha quoq;  
31. ff. de acquir. rer. dom. Traditio alia  
; alia ficta sive imaginaria, l. 6. ff. de  
ria traditio est, cum vel res mobilis de-  
tur; vel quis in rei immobilis posses-  
B 3, lionem